



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus IV. De venante, & in alienis limitibus feras capiente.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS IV.

## De venante, &amp; in alienis limitibus feras capiente.

**V**ulpinus venator nuper in venatione cervum graviter vulneravit, sed dum illum persequitur, cervus ab alio venatore ultimo ictu prosternitur, & capitur, quem tamen ad se pertinere Vulpinus contendit. Hic ipse Vulpinus non nunquam limites suæ venationis egressus in aliena Sylva feras capit, & aves alieno instrumento captas & irretitas è laqueo eximit, & extrahit, extractasque Domum asportat divendendas.

*QUÆR. I. Ad quem ex duobus hisce venatoribus pertineat dictus cervus?*

*QUÆR. II. Ad quem spectent aves, laqueo à te posito irretitæ, & captæ, sed ab alio præveniente è laqueo extractæ?*

*QUÆR. III. An Vulpinus in alienis limitibus feras capiens graviter peccet, & ad restitutionem teneatur?*

25 **A**D I. Q. feram non vulnerantis, sed capientis esse, affirmant multi cum Jureconsulto in *l. naturalem*, §. *quisitum est*, ff. *de acquirend. rer. dom. & §. illud quisitum*, *Instit. de rerum division.* Ubi subditur ratio, quia multa accidere possunt, ut eam, qui vulneravit, non capiat; atque adeò vulnerans nondum censetur dominus feræ. Sed melius alii cum Molina *tr. 2. D. 42. Less. l. 2. c. 5. dub. 10. Sà v. venatio. Re-*

*bell. l. 1. q. 14. sect. 4. Diana D. 1. q. 3. p. 7. n. 10. Palao D. unic. p. 12. Lug. D. 6. sect. 8. Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 12. Haun. n. 65. Dicastill. & aliis distinguunt, aiuntque, si vulnerans lethaliter feram vulneravit, & ita insequatur, ut moraliter ejus manus non posset effugere, sed eam capturus foret, feram esse vulnerantis, eique tradendam, quamvis alius superveniens eam ultimo ictu prosternat.*

D 2

Ratio



Ratio est, quia esto ante capti-  
onem per solum vulnus illatum do-  
minium feræ non acquisiverit vul-  
nerans, per eam tamen vulnera-  
tionem jus acquisivit ad eam capi-  
endam, & possidendam, atque  
adeò etiam ad ejus dominium com-  
parandum, quatenus causam suf-  
ficièntem dedit, sine qua tunc non  
caperetur. Accedit, quòd fera per  
vulnus lethale in eo eventu cen-  
setur amisisse naturalem libertatem;  
feræ autem fiunt illius, per quem  
naturalem libertatem amittunt. Si  
verò vulnus non erat sufficiens, ut  
fera caperetur, sed adhuc fugere  
poterat, ita ut moraliter loquendo  
non esset in potestatem vulnerantis  
deventura, aut si eam vulnerans  
non insequeretur, tunc feram esse  
primò capientis & occupantis, quia  
tunc non censetur naturalem liber-  
tatem amisisse; fera autem, quæ  
naturalem libertatem non amisit,  
fit primò occupantis, uti etiam  
tunc, quando dubium est, an vul-  
nus fuerit lethale, & vulnerans es-  
set eam capturus, quia in dubio  
melior est conditio possidentis; pu-  
tatur tamen Molina, Palao, Diana  
& alii, partem aliquam adjudican-  
dam esse vulneranti, si per vulnus  
infectum causa fuit, ut fera ab eo  
caperetur, aliàs non capienda.

Unde ad leg. citt. respondent Mo-  
lina, Palao, & alii, eas intelli-  
gendas esse de casu, quo vulnus  
infectum sufficiens non erat, ut fe-  
ra caperetur, vel cum id dubium est,

eo quòd in dubio melior sit condi-  
tio possidentis. Id, quod innuit  
ratio à citt. legibus subjuncta, ubi  
dicunt, feram esse capientis, quo-  
niam multa accidere solent, ut per-  
cutiens eam non capiat: Unde à  
contrario inferitur, feram fore vul-  
nerantis, si moraliter constaret,  
nihil obfuturum, quin hic illam ca-  
peret.

Ad 2. Q. ad quem pertineant 26  
feræ, & aves laqueo, aliove in-  
strumento à te captæ, sed ab alio  
superveniente è laqueo extractæ,  
& exemptæ? Respondent Sylvest.  
*V. inventum, q. 2.* Navar. *c. 17, n.*  
*176.* Covarr. *regul. peccatum 2, §.*  
*3. n. 13.* & alii, feram, vel avem  
esse eximentis, seu è laqueo illam  
extrahentis, idque ob legem in *li-*  
*queum, ff. de acquirend. verum domin.*  
ubi aperte innuitur, feram esse ex-  
trahentis. Verùm rectius, meli-  
ùsque rursus distinguunt citt. suprâ  
DD. Molina, Palao, Diana, Laym.  
Platel. *p. 3. n. 555.* Illi. *n. 241.* &  
siquidem fera, vel avis ita sit ali-  
eno laqueo irretita, ut non posset  
evadere, sed moraliter certum sit,  
eam perventuram ad manus ejus,  
qui laqueum tetendit, nisi alter  
prævenisset, censent in foro con-  
scientiæ eam totam illius esse, qui  
venatorium instrumentum expo-  
suit, illique esse reddendam. Ratio  
est, quia talis per suum instrumen-  
tum illi sufficiens ademit natura-  
lem libertatem: ergo, esto quòd  
illius dominium ante naturalem  
appre-



apprehensionem manibus factam consecutus non fuerit, acquisivit tamen jus eam à suo laqueo extrahendi, habetque jus, ne in ejus dominii acquisitione impediatur: Unde homines injuriam sibi fieri conqueruntur, si feræ suo instrumento captæ ab aliis extrahantur. Quibus suffragatur Haun. n. 69. Si laqueus sit positus in loco publico, vel in loco alieno cum consensu Domini; si verò positus erat in alieno loco invito domino, ait, hunc posse non solum feram, sed etiam laqueum licite eripere, atque ita habere praxim.

Si verò fera, vel avis poterat ex tuo laqueo se se extricare, adeoque putaretur ad tuas manus non perentura, sed antequam illam capere, & occupare posses, crederetur libertatem consecutura, ad extrahentem pertinet, quia tunc per laquei comprehensionem nondum censetur naturalem libertatem amisisse. Quòd si dubium sit, an fera fuisset se se extricata, & evasura, putant Molin. Less. Laym. esse dividendam pro rata dubii, alii verò ajunt totam esse capientis, quia in dubio fera non præsumitur amisisse naturalem libertatem; Satisfactionem tamen deberi censet Tambur l. 1. c. 3. V. venatio, pro labore positi laquei, quia capiens de illo labore certus est, & hic viam fecit ad feram capiendam.

Ad leg. in laqueum cit. respondet Palao, eam intelligendam esse

de casu, quo fera putatur ad tuas manus non perentura, sed antequam illam capere posses, crederetur libertatem consecutura. Lugo verò D. 6. Sect. 8. ait consultum Proculum ibi varias quæstiones proposuisse, sed eas non resolvisse in particulari, sed doctrinam generalem subjecisse, ex qua resolvi possent, scilicet quoties fera in tuam potestatem venit, tuam esse; ex qua doctrina alii potius contrarium colligunt, eo quòd fera irrita jam venerit in potestatem ejus, qui laqueum tetendit, ac præparavit. Molina autem censet, Proculum in errorem inductum fuisse, eo quòd non attenderit, quòd, quamvis ex feræ illaqueatione dominus instrumenti non acquirat dominium feræ, comparet tamen jus, ut ipse solus eam efficiat suam, nec item adverterit, injustitiam, onusque restituendi non solum oriri ex eo, quòd alter habeat dominium rei, quæ eo invito aufertur, sed etiam ex eo, quòd comparatum jus habeat ad eam suam efficiendam.

Ad 3. Q. Sciendum est, animalium naturali libertate gaudentium venationem, & piscationem, jure naturæ & gentium per se omnibus concessam, & licitam esse, etiam in fundo alieno, modo dominus fundi non prohibeat, nec ullum fundo nocumentum afferatur. Ita l. 2. Instir. de rerum division. § feræ; & ratio est, quia cum ejusmo-



di animalia retineant naturalem libertatem, nec sint pars, nec fructus fundi, in nullius sunt dominio, atque adeo quis per se jus habet præveniendi alios per honestam, & licitam occupationem.

Dixi jure naturæ, & gentium, ac per se; nam per accidens potest utique esse illicita & vetita, v. g. ratione scandali, aut periculi, ratione damni emergentis, ratione personæ, cui per legem Ecclesiasticam venatio prohibetur, prout defacto venatio clamosa, seu quæ fit cum magno clamore, & strepitu, interdicta est Clericis, & Religiosis in *cap. 1. & 2. de Cleric. venant.* & Trident. *Sess. 24. c. 12.* Item ratione juris à privato acquisiti, illique soli competentis, vel ratione legis positivæ à Principe latæ, qui sibi in certis locis jus venandi reservata, aliisque venationem prohibet. Possè autem Principem sæcularem non tantum in proprio, & communi fundo, sed etiam in proprio subditorum fundo licitè prohibere venationem, docet communis sententia cum Molina *tr. 2. D. 46. Less. l. 2. de just. c. 5.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 16.* Lug. Palao, Covarr. Medin. aliisque contra præclaros Juristas apud Haunold. *hic tr. 5. n. 73.* Ratio est tum praxis multis in Regnis recepta, & approbata; tum quia potest Princeps multos habere titulos justos id prohibendi, cujusmodi sunt.

*Primò*, tranquillitas, & utilitas publica, ne v. g. subditi alia necessaria negligant, ne occasione venationis ad atrocina, vel seditiones armentur, ne perimendo feras gravidas, & piscium, aviumque generationem intervertendo gravia communitati inferant damna,

*Secundò* consensus populi gratuitus, & tacitus, aut pactum, & conventio, ut Princeps vicissim aliquid remittat de tributis justè alias exigendis.

*Tertiò*, jus belli, seu per justum bellum acquisitum, aut si cum tali onere obtenta bona subditis tradit.

*Quartò*, si jus venandi per legitimam præscriptionem obtinuit, aut à tempore immemoriali, quo jure juxta Laym. *l. c. gaudet Cæsar, & alii Magnates.*

*Quintò*, recreatio statui suo conveniens, & debita ad publica onera sustinenda; solam tamen recreationem, licet possit ea esse titulus jus sibi reservandi in aliquibus locis, non tamen sufficere censet Less. cum aliis *l. c. dubit. 7.* ut Princeps id prohibeat in omnibus locis publicis, eo quòd inhumanum sit sui solummodo commodi, & oblectationis gratiâ universum populum privare omni recreatione, & utilitate venationis jure naturæ alias, & gentium sibi concessæ.

Porro



Porrò licet Princeps ex justo titulo jus venandi sibi reservare possit, vel aliis jus acquisitum concedere in certo aliquo loco venandi, caverè tamen debet, ut notant citt. DD. ne feræ agris subditorum gravia inferant damna, & siquæ intulerint, compenset, nisi fortè jure belli in terra hostili jus venandi sic obtinuerit, vel sub tali onere prædia subditis tradiderit, quia licet Princeps altum habeat dominium, necessitas tamen Reipublicæ non exigit damna subditorum, nec subditi, ut sic eorum jura lædantur, præcisa alia conventionem, consentire censentur. His præmissis,

28 Ad 3. Q. venatorem suæ venationis limites egredientem, & in alieno loco, nullo speciali sepimento clauso, feras suam libertatem retinentes capientem peccare graviter, censet Bonacina *D. 1. de restit. q. 3. p. 7. n. 22.* cum aliis à se citatis, quia talis peccat contra justitiam, & lædit jus alterius cum damno. Laym. *n. 14.* ait peccari posse graviter, quia violatio talis juris soli alteri competentis solet magni æstimari, maxime si id fiat frequenter. Alii cum Diastillo *l. 2. de just. D. 9. n. 308.* Less. *n. 44.* Diana *D. 1. q. 3. p. 7.* Turrian. Burgh. *cent. 1. cas. 52.* arbitrantur regulariter non nisi veniale peccatum esse, saltem si non magna ferarum strages edatur. Verum me-

lius videtur relinquendum id esse judicio prudentum, & juxta præsententes circumstantias pro quantitate damni illi subsecuti, qui jus venandi habet, atque ex intentione iniqui venatoris dandi damnum, quod dare non potuit, judicandum esse, an culpa ad lethalem perveniat, an verò solùm venialis sit.

Porrò licet talis venator in alienis limitibus venando peccet contra justitiam alienum jus violando, comparat tamen dominium ferarum captarum, quas proin in conscientia ante sententiam Judicis restituere non tenetur, & ratio est, quia feræ illæ non erant sub ullius alterius dominio, sed adhuc retinentes suam naturalem libertatem jure gentium erant communes; quæ autem sub nullius dominio existunt, fiunt primò occupantis, & quod alienum non est, sed commune jure gentium fit capientis, & consequenter neque est restitutioni obnoxium. Nihilominus, etsi iniquus venator ipsas feras captas in conscientia foro restituere non obligetur, tenetur tamen juxta communem, ac probabiliorem DD. sententiam ad compensationem damni, lucrive cessantis, quod subsecutum est illi, qui solus jus venandi habet, quantum scilicet arbitrio prudentis sua intererat eas feras non esse captas, eo, quòd plura aliàs animalia per ipsum, & per suos fuissent capienda, nisi ea injustè capta fuissent. Ratio est



est, quia qui in alieno loco venatur, peccat contra iustitiam, & lædit jus illius, cui reservata est venatio: sed qui peccat contra iustitiam tenetur ad compensationem damni, quod alter, cuius jus violatur, passus est, non quidem habita ratione valoris animalium ut dictum est, sed habita ratione damni, vel lucri cessantis, seu quantum moraliter aestimatur spes, seu jus eorum capiendorum, quod alterum privavit, nisi, ut notant Covarr. Molina, Medina, Diana, Sà & alii, is, qui solus jus venandi habet, contentus esse soleat solutione poenæ, quod ex statuto, vel consuetudine ipsa iudicandum est; nam si Dominus ultra poenam exigere non soleat solutionem damni, censendum est, eum solâ poenâ contentum esse, vel non curare solutionem damni ex quadam magnificentia, & generositate, prout de Principibus, & Magnatibus regulariter præsumendum esse ajunt citt. DD.

Dixi suprâ juxta communem, ac probabiliorē; nam P. Valsq. c. 5. de rest. dub. 7. n. 28. & 29. quem sequuntur Turrian. D. 36. dub. 2. Burgh. l. c. & alii, non improbabiler docet, venatorem in Sylva aliena venantem ob capturam animalium, quorum dominium acquirit, ad nullam restitutionem teneri; quia capit rem communem, nec alterum impedit, quin utatur jure suo, quod solum ipsi conceditur, ut ipse in tali loco licitè, & impunè venerari possit, & alios venatores ab illo arcere, cujus sententiam probabilem dicit etiam Lug. n. 68. Ad rationem tamen Valsq. responderi potest, talem venatorem non teneri ad restitutionem præcisè ex eo, quod rem communem accipiat, sed quia jus violat, quod alter solus habet à communitate, vel Principe ad capiendas feras in tali loco sibi concessum.

